

Utrum futura contingentia sint evidenter cognita a divina prescientia. Quod non, quia futura contingentia ad aliquam partem contradictionis non sunt determinata, igitur. Consequentia nota, quia cognitio scientifica est solum de certis et determinatis. Antecedens patet, quia aliter non essent contingentia.

Ad oppositum sic: omnis futura actio voluntatis nostre libera est a divina prescientia evidenter cognita, igitur. Patet consequentia, quia minus videretur de actionibus nostris liberis quod a deo essent cognite, quam de aliquibus aliis contingentibus futuris, sed antecedens patet Ecclesiastici³⁴, ubi dicitur oculi domini multo lucidiores super solem circumspicientes, super omnes vias hominum, domino enim atquam crearentur omnia sunt cognita. Ubi glossa omnes vias hominum in omnes affectiones humane voluntatis.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio est quod cuiuslibet propositionis disiunctive de futuro contingenti ex contradictionis formate altera per se est determinate vera.

Probat tripliciter.

Primo sic: cuiuslibet contradictionis altera pars est determinate vera et altera falsa. Sed parte talis propositionis sunt partes contradictionis remota disiunctione, igitur. Maior patet 4Metaphisice textu commneti 29. Minor patet, quia primum principium tenet in omni materia cum teneat gratia forme.

Secundum sic: propositio significans rem determinate evenire sic eveniet est determinate vera. Sed cuiuslibet talis propositionis altera pars est propositio significans rem evenire sicut eveniet, igitur. Maior patet ex terminis et minor declarat, quia formata tali propositione: „Cras ego legam” vel “Cras ego non legam”, altera pars determinate signifacat quod erit vel quod ego legam vel non, et quodlibet istorum signifacatur determinate partesdictae propositionis.

Tertio sic: et ista ratio magis me movet. Futuri contingentis Deus novit certitudinaliter alteram partem determinate fore. Igitur cuiuslibet talis propositionis contradictionis altera pars est determinate vera. Patet consequentia, quia si determinate erit sicut propositio enunciat, propositio erit [83a] determinate vera, et tamen certum est quod altera pars ita eveniet sicut erit. Antecedens patet, quia non aliter novit creata quam creanda, et creata determinate novit, igitur. Pro ista conclusione videtur esse Aristotelus, 1 Peri Hermeneia, capitulo ultimo, dicens quod propositio disiunctiva que est composita ex cotractoriis altera pars est determinate vera et exemplificat ut „Navale bellum erit cras”, vel “Navale bellum non erit cras”.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: omne illud de quo fuit verum dicere quod erit, non potest non venire. Sed si conclusio sit vera de futuro contingenti, est determinate verum dire quod erit, et sic si talis propositio formetur, cum sit vera per totum tempus preteritum, talis propositio fuit vera. Igitur tale futurum non potest evenire. Igitur nihil eveniret contingenter. Maior patet, quia veritas de preterito non potest non fuisse veritas. Et minor apparet, quia si modo sit verum dicere “Cras legam”, semper fuit verum dicere quod cras deberem legere, cum futurum non possit incipere esse futurum. Et confirmatur, quia quando ad antecedens sequitur necessario aliquod consequens in cuius potestate non est antecedens nec consequens, sed ad fuisse verum heri me hodie velle a vel legere, sequitur necessario consequentia me hodie velle a vel legere, et istud antecedens non est in potestate mea. Igitur velle a vel legere hodie non est in potestate mea, sed hoc est falsum, igitur.

Secundo sic: quoniam argumentum 1 Peri Hermeneia versus finem ait quod in futuris contingentibus non est determinata veritas, quia si sic sequitur quod futurum contingens esset necessarium, sed hoc est falsum, igitur. Falsitas consequentis nota, sed probatur consequentia, quia si omnis affirmatio vel negatio de futuris sit vera vel falsa determinate, sequitur quod dicens aliquid futurum dicet necessario verum vel falsum. Igitur si dicet verum necessario illud erit, si falsum necessario illud non erit, et sic futurum contingens esset necessarium.

Tertio sic: ab eo quod res est vel non est, omnino dicitur vera vel falsa. Sed de futuro contingentem non magis est determinatum in re quod erit quam quod non erit. Igitur nec omnino significans illud esse vel non esse erit determinate vera vel falsa. Ad hoc etiam videtur intentio Philosophi, 1 Peri Hermeneia, dicentis quod in singularibus de futuro non semper altera pars contradictionis est determinate vera et altera falsa.

Respondeo.

Ad primum, dico quod illud de quo semper fuit verum dicere quod erit, potest non evenire, si illud sit contingens futurum ratio, quia potest non fuisse verum nec ista repugnant fuit verum, et potest nunquam fuis- [83rb] se verum, quia cum determinatione de inesse stat determinatio de possibili, sicut et est non repugnant Petrus currit, et potest non currere, vel Petrus curret et poterit non currere. Et si dicatur quod non, quia veritas talis iam transivit in preteritum. Dico quod nunquam aliqua veritas alicuius propositionis potest transire in preteritum quam dependet ex futuro contingentem, quod est me hodie legere, quod nusquam transivit in preteritum donec istud contingens ponatur in esse, et ratio est quia si talis propositio resolvatur necessario resolvitur in duas, quarum una erit de preterito et alia de futuro. Prima erit: „heri fuit futurum me legere hodie”. Alia erit: „hodie legam”, et quia illa propositio includit istam quam est de futuro contingens, scilicet „hodie legam”, ideo illa non simpliciter est preterita et necessaria, sed magis significative est de futuro contingentem.

Ad confirmationem, dico eodem modo quod in potestate mea est, quod illud antecedens fit verum, scilicet „heri fuit verum hodie me legere”, quia pendet ex futuro contingentem quod est in potestate mea et si obitias. Igitur non fuit determinate verum. Dico quod immo determinatione de inesse. Sed non determinatione de possibili, quia licet sic fuerit, tamen poterat esse aliter.

Ad secundum, dico quod Aristoteles voluit dicere quod si in futuris contingentibus esset determinata veritas determinatione de in esse et de possibili, quod omnia evenirent de necessitate quod concedo, sed dico quod non sunt determinata de possibili.

Ad tertium, concedo maiorem. Ad minorem, dico quod immo de futuris contingentibus est sic determinata una pars quod non alia de in esse, sed non de possibili. Ad Philosophum dico eodem modo, vel dico quod Aristoteles voluit dicere quod de talibus futuris contingentibus non semper altera pars est determinate vera apud nostrum intellectum, quia nescimus que pars eveniet licet bene apud intellectum divinum et in re.

Secunda conclusio est: quod futura contingentia sunt evidenter cognita a divina prescientia et in hoc differt ista conclusio a tertia conclusione, questione 39, quia hoc addit super illam futurorum contingentiam et similiter in hoc diceret ista quaestio ab illa probatur

Igitur conclusio tripliciter.

Primo sic: futura contingentia sunt significabilia per aliquas propositiones categoromaticas determinate veras, igitur. Consequentia nota, quia Deus evidenter cognoscit

cuiuscumque propositionis categoromatically determinate verum significatum. Sed antecedens apparet ex prima conclusione huius quaestionis, igitur.

Secundo sic: quanto intellectus est maioris subtilitatis et [83va] perspicuitatis, tanto potest magis determinate cognoscere illud quod est futurum. Sed intellectus divinus est infinitus in perspicuitate, igitur. Maior nota, sicut apparet de visu aquile, que propter magnam sui perspicuitatem obiectum magis remotum videt. Et minor patet, quia intellectus divinus est infinite perspicuitis. Igitur potest quodcumque secundum quamcunque distantiam.

Tertio sic: omne futurum contingens est a Deo determinate volitum esse futurum, igitur et determinate cognitum. Consequentia nota, quia voluntas Dei in incognitum non potest. Antecedens patet, quia aliter posset facere aliquid ignoranter, quod est contra Augustinum, 5 super Genesis, et recitatur distinctione 35, 1, dicentem hec visibilia antequam fierent non erant, quoniam ergo Deo nota erant que non erant, et rursus quoniam ea faceret, que sibi nota non erant, non enim quicquam fecit ignorans, nota igitur fecit et non facta cognovit proinde antequam fierent et erant et non erant, erant in Dei scientia et non erant sua natura. Ista etiam conclusio potest probari rationibus tertie conclusionis, quaestione 39 et eodem modo contra ipsam argui, tamen contra ipsam nunc arguo aliis rationibus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: contra suppositum supponitur enim quod sit aliquod futurum contingens. Sic quodcumque est aliqua consequentia necessaria, si antecedens est necessarium et consequens, sed ista consequentia est necessaria: omne futurum est necessario futurum. Igitur demonstrato quocumque futura puta hoc antichristus erit. Igitur hoc futurum est necessario futurum, Et si sic, nullum erit futurum contingens. Maior de se patet, sed minor probatur. Primo quod ibi sit bona et necessaria consequentia, quia ibi arguitur a tutto in quantitate ad suam partem, arguendo sic: omne futurum est necessario futurum. Igitur hoc futurum est necessario futurum. Sed quod illud antecedens sit necessarium probatur, quia vel omne futurum necessario est futurum et habetur propositum, vel aliquod futurum potest non esse futurum. Sed hoc implicat contradictionem, quia implicat quod est futurum et quod non est futurum, igitur.

Secundo arguitur contra conclusionem sic: illud quod non est verum, a nullo est sciendum, sed futurum contingens non est verum, igitur a nullo est scitum. Maior apparet, quia futurum non potest cognosci. Et minor probatur, quia quando aliquid dependet a causa mere libera, non est maior ratio quaerere affirmatio eius sit vera quam eius negatio. Igitur, vel affirmatio vel negatio erunt simul vera, quod est impossibile, vel neutra erit vera, quod est [83vb] propositum.

Tertio sic: contra conclusionem, nulla prescisa a Deo possunt non evenire. Sed per te ista futura contingentia sunt prescisa a Deo. Igitur non possunt non evenire. Igitur omnia talia necessario evenient. Igitur non sunt futura contingentia. Maiorem ponit Magister in ista distinctione 38. Item hoc posset confirmari pro argumentum Ciceronis, quod recitat Augustinus, 5 De civitate Dei, capitulo 9, in principio arguit sic: si Deus habet prescientia futurorum, tunc eodem ordine evenient, quo fuerunt prescisa esse futura. Et si hoc ordine eveniant, igitur certus est ordo rerum et ordo causarum: non enim potest aliquid fieri quod non aliqua causa precesserit efficiens. Si autem certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit necessario, inquit, omnia fiunt que fiunt, quod si ita est, nihil est in potestate nostra et nullum est obiectum voluntatis. Quod si concedimus, tota humana vita subvertetur, frustra leges dantur obiurgationes, laudes,

vituperationes, exhortationes exhibentur, nec aliqua iustitia bonis premia et malis susplicia constitua sunt. Ista omnia videntur inconvenientia. Igitur Deus non prescit futura contingentia.

Respondeo.

Ad primum, dico sicut dictum est in ratione illa, quod futurum non distribuit necessario pro isto futuro contingeti, sed contingenter.

Ad secundum, potest dici ut ad primum argumentum contra tertiam conclusionem, questione 39, dictum est. Vel aliter concessa maiori, nego minorem, unde dico quod licet futurum contingens non sit in se verum, tamen sic est verum, quod completum formatum de futuro contingenti est verum et determinate verum, ut dicit prima conclusio. Sed dicere contra. Omnis propositio vera de presenti postea habet aliquam de preterito necessariam, puta si ista est vera: Socrates sedet, postea habet istam necessariam: Socrates sedit. Igitur ista proposito de contingenti: Socrates sedebit, ex quo est vera, postquam transivit in preteritum, est necessaria, et sic Socrates non poterit non sedere. Dico quod omnis proposito de presenti, cuius veritas dependet ex aliquo presenti significato et non ex futuro, habet postea unam necessariam de preterito, quando vero talis propositionis de presenti veritas dependet ex aliqua de futuro, non sic est. Ideo hec bene sequitur de ista: Socrates sedet, sed non de ista: Socrates sedebit, quia ista propositio: Socrates sedebit, sic est vera, quod potest nunquam fuisse vera, sicut dicebatur in solutione primi argumenti contra primam conclusionem.

Ad tertium, dico quod maior est vera in sensu [84ra] composito non diviso, hoc est quia scilicet non stat Deum insimul hoc prescire et hoc non fore, et cum toto hoc stat, quod Deus scit contingenter hoc fore, quod possit nunquam scivisse hoc fore.

Ad argumentum Ciceronis, dico quod cum hoc quod eodem ordine eveniant, omnia a Deo prescita, quo sunt prescita et quod certus sit ordo causarum, tamen cum hoc stat, quod eveniunt contingenter, quia possunt aliter evenire quam sint prescita in sensu diviso, quia ut dictum est superius, cum determinatione de inesse stat indeterminatio de possibili et possibilitas ad oppositum.

Tertia conclusio est: quod futura contingentia speciali Dei gratia a creata anima possunt esse evidenter cognita.

Probatur tripliciter.

Primo sic: Deus potest speciali gratia conferre anime create noticiam deitatis. Igitur et noticiam futuri contingentis. Item quia cognoscens essentiam divinam potest cognoscere omne illud, quod essentia sibi clarum potest presentare. Item quia in ipsa relucent futura contingentia sicut in speculo perfectissimo.

Secundo sicut: Deus anime create potest conferre prophetiam de futuis, igitur. Antecedens patet ex fide, quia hoc fecit Helie prophanti de pluvia futura, 3 Regum 9, et multis aliis. Et patet consequentia, quia prophetia est certa noticia. Et confirmatur, quia si contingens revelatum non esset certitudinaliter et evidenter saltem evidentia infallibilitatis, tunc sacra scriptura tota esset suspecta, que a Deo est revelata.

Tertio sic: de eo, quod determinante eveniet, Deus potest anime create conferre evidentem notitiam, sed futurum contingens est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia sicut se habet res ad entitatem, ita ad cognoscibilitatem. Et minor apparet per primam conclusionem. Ista conclusio patet, quia de facto Deus dedit anime Christi certam notitiam de contingenti futuro peccato Petri, immo de omnibus futuris contingentibus, ut ait Magister, libro 3, distinctione 14.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: ille non potest habere evidentem noticiam de futuro contingenti, qui non obstante quacunq[ue] revelatione potest circa illud errare, patet, quia noticia evidens non stat cum errore. Sed anima creata et huiusmodi, igitur. Patet minor, quia revelet mihi Deus antichristum fore, tunc anima mea iudicat antichristum fore, et tamen supposito quod non erit, quia potest non fore. Igitur anima mea [84rb] erravit iudicando antichristum non fore. Iste enim due sunt compossibiles, anima mea iudicabit antichristum fore et antichristus non erit.

Secundum sic: si conclusio sit vera, revelet Deus Petro quod peccabit mortaliter obmittendo aliquid facere, quod tenetur ante instans a et obmittat Petrus, queritur pro quo peccavit aut peccat pro instanti a, vel pro tempore precedente ipsum a, vel pro instanti immediato ipsi a. Primum non, quia potest non esse in a. Nec secundum, quia illud tempus est divisibile. Igitur in parte illius temporis potui non peccare. Nec tertium, quia instans non est immediatum instanti.

Tertio sic: nihil potest sciri determinate, quod potest non esse. Futurum contingens potest non esse, igitur. Maior pater per Anselmum, De casu diaboli, capitulo 21, angelus primus nescivit casum suum, quia quod potest non esse, nulla ratione creata cognoscitur. Et confirmatur, quia nullum revelatum a Deo potest non fore, quia aliter Deus posset per revelationem decipere futurum, aut contingens potest non fore. Item quia si Deus posset causare notitiam futuri contingentis, posset se facere non omnipotentem, quia ponatur quod Deus revelet alicui aliquod futurum contingens, non potest facere contrarium evenire, quia tunc faceret contra revelati veritatem.

Respondeo.

Ad primum, dico quod Deus revelare notitiam futuri contingentis, potest dupliciter intelligi. Unomodo sic: quod anima creata habeat certam notitiam evidentem et infallibilem de futuro contingenti, quod erit sic: quod non potest non esse. Et sic dico quod talem notitiam anime create non potest conferre, cum nec talem ipse habeat, quia stantibus omnibus apparentiis in me, adhuc Deus potest non facere illam rem futuram contingenter et facere oppositum illius. Aliomodo potest sic intellegi: quod det anime notitiam de futuro contingenti certam, qua habita intellectus habet cognitionem determinatam futuri contingenter sine dubitatione, et sic dico quod talem notitiam potest conferre. Vel dicendum ad argumentum per distinctionem sensus compositi et divisi.

Ad secundum, cum quaeritur quando ille peccavit dicunt aliqui quod peccatum obmissionis nihil est, ideo quaerere eius mensurare nihil est quaerere nec rationabile. Sed hoc non soluit, quia etiam non entis assignatur mensura nam bene dicitur ille fuit mortuus per decem annos. Item si deus annullaret unum lapidem nunc et cras eadem hora ipse repararet, bene diceretur quod hic lapis per unam diem fuit annullatus. Aliter soluunt alii, concedentes istas duas propo-[84va]sitiones: prima quod peccat in aliquo instanti ante .a., secunda quod in nullo instanti ante a peccavit, quia in prima propositione si instans habet suppositionem confusam, et in secundam determinatam vel distributivam. Istud non soluit, quia oportet quod primo peccaverit in aliqua mensura ex quo verum est dicere quod primo peccaverit. Item quia accipio istam. Iste non fecit quod debuit facere in aliquo instanti ante a ibi si instans videtur habere suppositivam distributivam, quia negato precedit que distribuit terminum cui additur. Aliter dicunt alii, scilicet quod instans est immediatum instanti et sic quod peccat in instanti immediato ipsi a, sed quia hoc est contra philosophiam ideo dimitto. Aliter dicunt alii quod peccat in a, sed non fuit aliquando verum dicere quod peccat in a, quia alique propositiones sunt vere de

preterito, que nullam habent veritatem de presenti, nam verum est dicere: quod iste fuit heri, sed hoc non valet ad propositum, quia ista oredicat heri: cras et similia important dias temporis diversas, et ideo non verificatur in una pre alia, sed istud predicatum peccavit non important differentiam temporis. Ideo in omnibuz oredictis omissis dico quod primo peccat in principio temporis minimi imperceptibilis a nobis vel ab ipso, quia nihil in principio alius temporis minimi vel noluit vel voluit facere quod debuit si voluit et potuit fecit, et sic non peccavit si voluit et non potui peccavit si voluit hoc fuit, quia contempsit et voluit differre et sic quando primo fuit impotens peccavit, et si dicas que tam de illo minimo tempore ex quo erit divisibile tunc in aliqua parte posteriori potuit adimplere quod debuit, dico quod naturaliter est dare tempus minimum a nobis preceptive non posse dividi.

Ad tertium, dico quod aliquid cognosci dupliciter intelligitur. Uno modo quod sic cognoscitur fore quod non potest non fore, et sic concedo maiorem, et sic intelligit Anselmus et non sic intelligit conclusio. Alio modo sic cognoscitur quod sic de factio erit licet oppositum possit esse, et sic nego maiorem et sic intelligit conclusio posita. Ad confrimationem, dico quod obstante divina revelatione res adhuc contingenter sunt future et possunt non evenire, quia omnis talis propositio revela dependet ex una contingenti de fituro, vel exponitur per unam telem, ut dice-[84vb] tur in solutine primi contra primam conclusionem, ideo non est necessaria quousque fit, immo manet semper contingens usque ad positionem rei in esse, ideo illa cedulitas fertur contingenter in se super illud revelatum, sed diceres, deus dicit mihi et non evenier sicut dicit mihi. Igitur me decipit, quia annunciat cuius oppositum facit sicut fecit Iohannes et Ezechie. Dico quod deus non est deceptor dato quod possit facere aliqua signa exteriora unde homo habet assensum falsum et unde erat in iudicando, sicut patuit de hac quond in cruce pendens damnavit dicens heli, hel etc. Ex quo assistentes crediderunt et Heliam vocaret similiter cum dixit solvite templim hoc etc. Et ideo deceptio fuit ex parte iudicii eorum qui habuerunt falsum assensum, vel potest dici quod deus non est deceptor, quia non potest aliquem falere, nec ad errores trahere per quos mereatur puniri eternaliter vel fit dignus morte eterna.

Ad aliam confrimationem, dico quod non sequitur quod faceret vel posset facere se omnupotentem, quia cum ipsius futuri revelatione stat ipsum posse non evenire, ut patet ex dictis, igitur.

Ad argumentum primum in oppositum, patet quid dicendum per primam conclusionem et in ipsa dicta.